

A D R E V E R E N D I S S I M V M  
I N C H R I S T O P A T R E M ,  
E T D . D . N I C O L A V M D E F L I S C O ,  
S . R . Ecclesiae Episcopum Cardin. Sabinensem.

*Thome De Vio Caetani, tunc Prædic. ordinis Generalis Magistri, nunc  
Sancti Xisti presbyteri Cardinalis, in Prima Secunda D.Thomo  
Aquinatis Commentarios.*

P R A E F A T I O .

VI Orthodoxam Ecclesiam Reuerendissime in Christo Pater, pomarium esse cultissimum fecundisque arboribus consitum dixerint, non modo eos non aberrare vspiam, sed rectissime etiam sentire contenderim; quippe qui a principe illo uatum Moise, in ipsis prope historiæ sue foribus assertum hoc pro palam fore, ac procul, ab ænigmatibus esse non ambigant. Neque enim aliud paradisus ille a Deo plantatus, aquis irriguus platus, pomiferis constitutus, in quo & primus est homo positus, quam Christi refert Ecclesiam, baptismi fonte vitaque arbore (quæ Christus est) tum diuorum hominum disciplinis, illustrium plantarijs exornata. In hunc, cum multi ad eximendam famem, capiendaque pocula paſſim adcurrant, accessi & ego, & mea sponte cupidus, tum maxime ab Aquinate Salomonem (ita enim appellare liber) accitus (quis enim tam mentis inops, ac stolidus, vt aduocantem ad conclusum hortum dilectos suos, vt comedant fructus pomorum suorum, non libenter audiat, non gradu concito sequatur?) accessi. Neque nuper folium, sed quam primum mihi per ætatem licuit ac sub opacis proceræ illius ac feracis arboris ramis, procul a seculi curis, procul a passionum æstibus recreatus, ad radices diu admirans potius arboris celstitudinem, pomorumque copiam ac suavitatem, quam delibans admodum, sessitauis: vbi vero auctis viribus illam concendi, pomaq; ad libitum colligens, degustauis, tantus me subito illorum amor incessit, vt non diebus non noctibus, a legendis illis ac vorandis abstineam. Sed qui me voluptate hac affectum miseror inuaserit, nescio, dum exceptis paucis, reliquos vel in madendis siliquis, vel estrin gendis glandibus occupatos, a nostræ procul arboris dulcedine video